

*Caritas Dei diffusa est in nobis
per Spiritum qui datus est.*

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Romános

5, 1-2. 5-8

Fratres:

¹ **I**ustificáti ex fide,
pacem habémus ad Deum
per Dóminum nostrum Iesum Christum,
² per quem et accéssum habémus fide
in grátiam istam,
in qua stamus et gloriámur
in spe glóriæ Dei.

[3-4]

⁵ Spes autem non confúndit,
quia cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris
per Spíritum Sanctum, qui datus est nobis.
⁶ Adhuc enim Christus,
cum adhuc infirmi essémus,
secúndum tempus
pro ímpiis mórtuus est.
⁷ Vix enim pro iusto quis móritur;
nam pro bono fórsitan quis et áudeat mori.
⁸ Comméndat autem suam caritátem Deus in nos,
quóniam, cum adhuc peccatóres essémus,
Christus pro nobis mórtuus est.

Verbum Dómini.